

LIBER XXX.

1361-1363

1

Περὶ ἀκυρώσεως συμβολαίου μεταξύ Νικολάου Κορνάρου τοῦ ποτὲ Ἰωάννου καὶ Λουδοβίκου Καύκου διὰ δύο τιμάρια (σερβενταρίας) λεγομένας Σκοπέλλα καὶ ἐπαναφορᾶς εἰς τὰ τιμάρια τοῦ Λ. Καύκου ὅστις θέλει καταβάλῃ τὰ μισθώματα εἰς τοὺς ταμίας Κρήτης. Ἐπίσης νὰ ἐπιστραφῶσιν εἰς τὸν Λουδοβίκον ὅσα χρήματα ἔδωσεν εἰς τὸν Νικολέτον διὰ τὰ ἐν λόγῳ τιμάρια. Ἐπισυνάπτονται:

1ον Αἰτιολογικὰ γράμματα τοῦ δουκὸς καὶ τῶν συμβούλων Κρήτης πρὸς τὴν Γερουσίαν.

2ον Αἴτησις Ἀνδρέου Κορνάρου ἀδελφοῦ τοῦ Νικολάου.

3ον Αἴτησις Λουδοβίκου Καύκου. 1361, Αὐγούστου 10.

F^o 13^{to} Millesimo trecentesimo LXI, die X Augusti.

Cum per nobilem uirum Marinum Grimani ducham Crete et eius consilium super infrascripto negocio nobilis uiri Nicolai Cornario quondam Johannis pheu-

- 5 Petri similiter pheudati, ibi fuerint scripte Ducali dominio littere infrascripti tenoris et subsequenter per utramque partem fuerunt porrecte ipsi dominio petitiones infrascripti tenoris, tandem examinatis juribus et allegationibus et insertis utriusque partis; capta fuit pars secundum consilium sapientum ordinum in hunc modum, uidelicet quod scribatur duche et consiliarijs Crete, quod primo et ante
- 10 omnia carte securitatis et commissionis per ser Nicoletum Cornario filium quondam ser Johannis et ser Lodouico Caucho de duabus seruentarijs uocatis Scopella, annullentur et cassentur, ita et taliter quod nullius sint efficacie uel ualoris et quod dictus Lodouicus Caucho reducatur in possessione dictarum duarum seruentariarum, soluente ipso affictu ipsarum sicut soluere tenebatur ante confe-
- 15 ctionem dictorum insertorum quod exigatur tam de tempore preterito quam successiue de tempore in tempus per camerarios Crete, et omnem pecuniam quam propterea exigent, soluent et deponant ordinate, donec per dominationem in processu temporis aliud ordinabitur et ducenta yperpera, que idem Lodouicus



Cauchō dedit predicto Nicoletō in occasione dictarum seruentariarum restituan-
tur eidem Lodouico. Et duca et consiliarij predicti in hoc et alijs faciant sicut 20
eis melius uidebitur secundum deum et rationem et hanc nostram intentionem.

Tenor autem litterarum duche et consiliariorum Crete est.

Serenissime domine noster Ducali Celsitudini denotamus quod quidem Nico-
letus Cornario filius quondam ciui nobilis Johannis Cornario pheudati Candide,
qui olim relinquerat negocia secularia, sequens uitam et conuersionem fratri-
cellorum, hijs diebus preteritis inordinate recessit de hac insula uestre Crete 25
absque nostra licencia non instituendo alium loco sui, sic facere tenebatur per
formam concessionis facte feudatis uestris Crete, in qua finaliter continetur quod
siquis non seruauerit ea que in ipsa concessione continentur perdere debeat totam
possessionem quam habebit in Creta unde nos uolentes quod alij feudati nostri
non sumant audacim in posterum taliter exeundi de insula sine licencia dominij 30
quod esset res mali exempli et contra honorem dominationis statim fecimus
intromitti nomine uestri communis totum pheudum dicti Nicoleti Cornario scrip-
tum in catastico patri suo predicto, intendentes quod illi quos tangit negotium
recurant ad gratiam Ducalis Clementie pro subuentione habenda circa recupera-
tionem feudi supradicti. Uerum tamen ut uestro dominio plene pateat totum jus 35
quod ipse Nicolaus habuit in prefato pheudo uestre magnitudini denotamus quod
dudum currente anno domini MCCCXL mense Augusti die primo Indicione VIII
Petrus Cauchō quondam uendit Johanni Cornario quondam patri suprascripti
Nicoleti Cornario seruentarias duas de Scopella pro yperperis II mille CC quas
sibi scribi fecit in catastico curie Crete uestre. Et eadem ipsa die dictus Johannes 40
Cornario affictauit eidem Petro Cauchō prefatas duas seruentarias usque ad cer-
tum tempus ad renouandum postmodum cartam affictionis ab inde in antea
usque ad alios annos XXVIII pro yperperis CC sibi soluendis annuatim cum con-
ditione quod dictus Petrus Cauchō tenebatur facere uarnitionem et alias factio-
nes pro dictis seruentarijs et quandocunque ipse uellet dare dicto Johanni Cor- 45
nario yperpera II mille CC dicte seruentarie debebant remanere libere dicto Petro
et esse sue, deinde ipsa conuentio et promissio de consensu dicti Petri Cauchō
transactata et concessa fuit Lodouico Cauchō filio dicti Petri per cartam factam
anno domini MCCCXLII mense Februarij die XIII cum modis et condicionibus
antedictis ita quod Lodouicus ex tunc citra tenuit et possedit dictas seruentarias 50
cum ipsis modis et condicionibus et fecit continue uarnicionem pro eis et alias
solitas factiones et tempore quo ipse Lodouicus recessit de Creta pro ueniendo
Venecias de consensu et licencia dominij instituit alium loco sui, qui seruiebat
pro dicto feudo usque modo tamen per scripturam catastici quam omnino sequi

- 55 debemus, apparet dictas seruentarias fuisse dicti quondam Johannis Cornario
sibi scriptas et catasticatas per nostros predecessores et ipse eas tenebatur defen-
dere et uarnire secundum formam concessionis sibi facte per dominium de ipsis
seruentarijs, et ideo illas fecimus intromitti nomine dicti uestri communis spe-
cialiter quia constat, quod per diuisiones factas inter Nicoletum Cornario supra-
60 scriptum ex una parte et antedictum Cornarium fratrem suum ex altera totum
ius quod dictus quondam Johannes Cornario habuit in dictis duabus seruentarijs
deuolutum erat in Nicoletum Cornario supradictum, qui Nicoletus circa recessum
suum fecit fieri eidem Lodouico Caucho cartam securitatis confitens sibi fuisse
satisfactum de tota pecunia suprascripta et de affictu dictarum seruentariarum
65 tamen re uera in confectione dicte carte securitatis idem Nicoletus habuit solum
yperpera ducenta sibi data per eundem Lodouicum, facta remissione de residuo
pro discarico sue conscientie, habens et reputans prout fertur suprascriptum con-
tractum fuisse illicitum et inhonestum. Et insuper fuit cartam commissionis
eidem Lodouico et Nicolao Caucho fratri suo dans et conferens eis plenam uir-
70 tutem et potestatem disobligandi seruentarias predictas et faciendi eas scribi et
catasticari eidem Lodouico uel cui uellet, prout in insertis et scripturis alijs inde
factis quarum exempla sunt inclusa presenti distinctius uidebitis contineri. Dictus
autem Nicoletus Cornario iuuenis est etate annorum XVIII et ultra et est satis
bone discretionis. Item fecimus simili modo intromitti nomine communis aliam
75 seruentariam publicam de Platanisso scriptam in catastico supradicto quondam
Johanni Cornario, quam ipse Johannes habuit tali modo, uidelicet quod quidam
nomine Jacobus Pagano qui emerat dictam seruentariam et precium eius soluerat,
fecit eam scribi in catastico curie nostre Crete eidem Johanni Cornario, cui etiam
affictauit eam usque ad annos XX pro yperperis LXV et grossis III soluendis sibi
80 annuatim cum conditione quod dictus Johannes Cornario tenebatur facere uarni-
tionem pro ipsa et quod interea si dictus Johannes Cornario uellet dare dicto
Jacobus Pagano yperpera M pro precio eius, tunc dicta seruentaria una cum dimi-
dio debebat eidem Johanni remanere libere et esse sua, sicut constat pro inserta
inde facta, quorum exempla mittimus presenti interclusa. Apparet etiam per diui-
85 siones factas inter ipsum Nicolaum Cornario ex una parte et prefatum Andream
Cornario fratrem suum quod dicta seruentaria una cum dimidia, seu totum ius
quod ipse Johannes Cornario habuit in ea, deuolutum erat in Nicoletum Cornario
supradictum et in uarnitione dicti feudi idem Nicolaus ostendebat personam suam
et seruiebat pro ea sicut patet per sripturam uarnitionis cuius exempla mittimus
90 hic inclusa. Et quoniam pro utraque parte nunc recuritur ad uestram Excellen-
tiam pro implorando subuentionis remedium, idcirco ad informationem ducalis

Magnitudinis tenore presentis curauimus huius rei seriem declarare, sicut se habet in forma superius enarata. Sublimitas uero uestra prouidere poterat superinde quemadmodum sibi uidebitur et placebit. Nos quoque dominationis uestre mandatum prestolabimur in premissis.

95

Tenor petitionis Andree Cornario fratris Nicoleti Cornario talis est.

Ducali dominio eiusque honorabili et sapienti consilio reuerenter exponit nobilis uir Andreas Cornario filius quondam Johannis Cornario habitator Candide quod sicut uestra dominatio scire potuit Nicolaus Cornario frater eius qui nunc est etatis annorum XVIII, iam v annis elapsis et ultra seductus fuit per quamdam sectam fraticellorum et incidit in multos et diuersos errores in tantum quod per dominum legatum fuit ipse cum nonnullis alijs crucesignatus et date sibi diuerse penitentie et discipline, quas tamen ipse male seruauit, postea uero iterum fuit cum aliquibus alijs deprehensus in heresi et ex sententia domini legati quidam Langeardus, qui erat quasi caput et princeps huius secte combustus fuit, finaliter suadentibus sibi propinquis et amicis non sine labore magno ipse Nicolaus abnegauit heresim et promisit catolice et fideliter imposterum ducere uitam suam et sic extrinsecus demonstraui equitando, uestiendo et alios actus faciendo quemadmodum faciunt alij iuuenes etatis et conditionis sue, proposueratque uxorem accipere et iam tractatus habebatur de ipso maritando, cumque ista sic procederent, Leonardus Gradonico qui fuerat et est de notabilioribus huius secte, fecit ei conscientiam quod nisi ipse rediret ad ipsam sectam erat in statu perditionis, amonens eciam cum quod quidam contractus olim facti inter patrem suum et Petrum Caucho patrem, et Lodouicum Caucho eius filium de duabus seruentarijs de Scopella, quas dictus eius pater emit ab ipso Petro pro yperperis II mille CC et postea sibi reaffictatis pro yperperis CC in anno usque ad annos XXVIII ad renouandum sub certis conditionibus atque modis licitis et honestis sic suo loco et tempore quando uidebitur uestro dominio poterit demonstrari, pro salute sue anime reuocaret pro eo quod dicte due seruentarie sibi cesserant in parte faciens sibi conscientiam quod dicti contractus erant illiciti et contra deum, propter quod dictus iuuenis sic seductus disposuit se ad recessum et pro recuperanda pecunia pro expensis recepit yperpera CC ab ipso Lodouico Caucho et pro ipsis CC yperperis fecit plenam finem et remissionem eidem de dictis yperperis II mille CC et de yperperis VI centum uel circa que sibi debebat dare pro affictu temporis elapsi et fecit ei commissionem ad disobligandum et sibi catasticari faciendum dictas duas seruentarias et cum dictis CC yperperis recessit et iuit Salonichum, ubi cum aliquibus alijs fraticellis sequitur sectam prefatam. Hec autem sentientes ipse Andreas et ceteri sui propinqui fuerunt coram ducha et

100

105

110

115

120

125

consiliarijs uestris, aggrauantes se de dicta securitate sic enormiter facta, que-
rentes ipsam irritari et annullari tanquam indebite obtentam. Qui rectores exa-
minantes negotium et quemdam punctum concessionis, in quo continetur quod
130 pheudati non seruantes que deberet in pheudis suis perdant ea, determinauerunt
ipsas seruentarias et alia pheuda que tenebat ipse Nicolaus in commune uestrum
reuerti. Ipse uero Lodouicus misit ex altera parte ad uestrum dominum uolens
quod securitas sibi facta sit firma. Quare idem Andreas plenis tribulationibus et
135 angustijs tum pro honore suo et domus sue, tum pro dispositione fratris, uolens
omnem experientiam facere, per quam ipse possit ipsum suum fratrem ad uiam
ueritatis reducere et ad fidelitatem et seruitia uestri dominij sicut semper fue-
runt antecessores sui personaliter et proprijs expensis uenit Venetias supplicans
humiliter et deuote, quatenus considerato quod omnia que facta sunt per dictum
140 fratrem suum a tempore quo ipse incepit errare usque ad diem presentem, dici
possunt et debent inualida et nullius ualoris quia sicut scitis hereticis nec con-
trahere nec testari possunt, ymo potius dici potest fuisse alienatus mente et non
compos sui, et per consequens securitas facta per eum non debet tenere, etiam
quia ipse remissit mille trecentos ducatos et ultra pro centum, et omnia jura
145 clamant quod deceptis ultra dimidiam iusti precij subueniendum est dignemini
mandare et ordinare quod dicta carta et alie per eum in hoc statu facte irriten-
tur et annullentur. Et ut detur causa dicto fratri suo recedendi ab erroribus et
reconciliandi se dignetur uestra pia et misericors dominatio ordinare quod si
infra illum terminum qui uobis uideatur conueniens sibi assignandus ipse resi-
150 puerit et in unitate sancte matris ecclesie amotis erroribus redierit Candidam et
perseuerare et uiuere uoluerit fideliter sicut debet quilibet catholicus facere, bona
et pheuda sua sibi restituantur cum conditione quod ipsa non possit alienare uel
se aut dicta bona obligare sine consensu regiminis Crete, remanentibus ipsis
bonis interim pendente termino in manibus uestri communis. Et si infra dictum
155 terminum non rediret dominatio uestra, tunc poterit prouidere de ipsis bonis
sicut sibi iustum uidebitur quia non dubitat quod in illo casu potius uolletis
quod ipse frater suus ad quem ab intestato deuoluerentur ipsa bona, ea habet
quam extranei. Set ipse sperat in gratia Dei quod frater suus per istum modum
redibit quod erit sibi multo gratius et carius quam si bona sibi darentur nam
160 teste Deo ipse nil aliud querit nisi salutem et reconciliationem fratris sui predicti.

Tenor petitionis pro parte Ludouici Caucho talis est.

Ducali benignitati supplicatur humiliter pro parte Ludouici Caucho filij
quondam d. Petri Caucho fidelis uestri de Creta et exponitur reuerenter quod
dictus Petrus Caucho pater suus pro necessitatibus suis erat egens pecunie quam

aliter non potuit recuperare nisi quod ipse scribi fecit Johanni Cornario quod
in catastico Curie Crete duas suas seruentarias de Scopella sitas in insula nostra 165
Crete et sic habuit yperpera II mille CC tali quidem pacto quod ipse Johannes
Cornario per cartam publicam inde factam affictauit sibi easdem seruentarias ad
certum tempus pro yperperis CC soluendis annuatim cum condictione quod
dictus pater suus tenebatur facere uarnitionem et supportate cetera onera earum-
dem et in casu quo sibi uellet restituere dicta yperpera II mille CC predictae ser- 170
uentarie sibi remanere debebant et esse sue, postea uero dominum dictarum
seruentariarum deuenit in prefatum Ludouicum Caucho cum oneribus et condi-
tionibus antedictis qui Ludouicus eas sic tenuit et possedit ab annis XVIII citra
faciendo continue uarnitionem et alias factiones ad quas erat obligatus tanquam
uerus et directus patronus in tantum quod tempore quo ipse uoluit uenire Vene- 175
cias pro curatione infirmitatis sue instituit cum licentia dominij alium loco sui,
qui seruiebat pro eo usque ad eius reditum. Nuper autem quidam filius supras-
cripti Johannis Cornario quondam qui postpositis rebus temporalibus si totum
diuino dedicauit obsequio elegit patriam et cognationem relinquere ac proposito
peregrinari in habitu paupertatis et sic exiuit de Creta sola occasione deuotionis 180
et pie religionis. Set propter recessum ipsius dominum Crete intromissit et reser-
uauit nomine nostri communis feudum antedictum tanquam bona dicti Nicolai
habens eundem Nicolaum inordinate sine licentia recessisse. Qua propter ad
uestram dominationem recurritur pro parte dicti Ludouici Caucho supplicando,
quatenus considerata concessione facta suprascripto quondam Johanni Cornario 185
de ipso feudo qui non erat uera alienatio, set paliata pignoratio sicut patet ab
effectu quoniam ipsam proprietatem et dominium proprietatis continue habuit
realiter ipse Ludouicus et pater eius tali modo quod dictus Nicolaus Cornario
uel pater eius nullum ius habuerunt in proprietate set solum in pecunia supra-
dicta. Et attenta condictione dicti Ludouici Caucho qui diu patitur inremedia- 190
biliter et in aliquo non contrafecit mandatis et constitutionibus Ducalis dominij
dignetur Uestra Magnificencia que suis fidelibus esse consuevit fauorabilis et
benigna mandare quod dictum pheudum suum restituatur sibi de gratia speciali. 193

2

Ἐπὶ αἰτήσεως Ἀνδρέου Κορνάρου ποτὲ Ἰωάννου αἰτοῦντος τὴν ἀποκατάστασιν ἐπὶ τῶν δικαιωμάτων
του ἐνὸς καὶ ἡμίσεως τιμαρίου λεγομένων Πλατισὸ καὶ Ζαράτη. 1361, Σεπτεμβρίου 7.

Fo 21^{to} Millesimo trecentesimo LXI, die septimo Septembris.

1

Capta. Cum per uirum nobilem Andream Cornario habitatorem Candide
nobis fuerit propositum quod occasione recessus Nicolai Cornario de Candida

12

